



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicacionis, Patrociniij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Primus Locus. Per nominis interpretationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

§. IV.

De secundo officio Concionatoris, seu de
argumentorum inventione.

Sicut Paterfamilias, postquam materiam pro cibis præparavit, sollicitè curare debet, ut à Coquo bene coquantur, & præparentur, ita & Concionator ante omnia laborare debet, ut à coquo suo, id est, intellectu, materia, quam Auditoribus proponere decrevit, priùs per accuratum studium bene excoquatur; hoc verò studium in eo potissimum consistit, ut accuratè dispiciat, quomodo doctrinam præfixam clarè explicare, solidè probare, & efficaciter persuadere queat, absque hoc studio Concionator suo munere difficulter rectè fungetur, sed potiùs auctoritatem suam perdet, efficietque, ut Auditores advertentes parvum studium impensum fuisse Concioni suspicentur, eum prioribus diebus aut poculis nimis indulgisse, aut aliis impertinentibus curis & negotiis fuisse distractum, sicque verificabitur notum illud cujusdam Doctoris effatum, omnibus Cathedris meritò in ipso aditu inscribendum: *Qui ascendit sine labore, descendit sine honore.* E contrario verò, quæ meditata afferuntur ab eo, qui ad multam noctem vigilavit, non tam lucernam, quàm Sancti Spiritus oleum voluntates commoventis redolebunt, inquit rectè Bonifacius c. 3. epist. 6.

Porro ut studium hoc tantò majore cum facilitate dexteritatèque peragat, & argumenta scopo suo probando citiùs invenire queat, proderit ad manum habere locos quosdam fecundiores, ex quibus dicta argumenta amplificationi servitura disponi queant, quæ alium quidem locorum aliquos hic annotabo ex antiquo aliquo libro collectos.

PRIMUS LOCUS.

Per nominis interpretationem.

Ex hoc loco variis modis argumentari possumus. Nam primò videre potest Concionator, an nomen in themate vel sententia positum habeat plures interpretationes, & tunc il-
las,

las, quæ magis ad propositum conducunt, assumit v.g. Israel juxta Interpretes idem significat, ac videns Deum, vel princeps cum Deo, vel fortis discretio Dei, unde qui vellet Christianos comparare Israeli, posset facillè ostendere, quomodo illi debeant esse veri Israelitæ, procurando hos titulos, ut scilicet cognoscant Deum, & videant per veram fidem, sint Principes & amici Dei per gratiæ & Charitatis possessionem, & denique fortes per discretam patientiam. Quòd si placeret unam duntaxat interpretationem accipere, tum posset ostendi, quomodo v.g. essent Principes, imò reges juxta commune illud effatum: *Servire Deo, regnare est*: Unde dividi posset Concio in tres partes juxta conditiones ad Regem à Seneca requisitas, dum dixit: Rex est, qui metuit nihil: Rex est, qui cupit nihil, hoc regnum sibi quisque dat. Secuudò quoque Concionator definire aut describere potest, nomen aliquod aut potius rem per nomen significatam, ut si v.g. dicat: Arca Noë fuit lignum ex tali materia præparatum, tot & tot habens contignationes, à Noë confectum, ut se & alios servet ab interitu; atqui Beatissimæ Mariæ Virgini hæc omnia conveniunt, ergo &c. Pari modo si vult probare veritatem illius sententiæ à Davide prolata: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine*, examinet, quomodo Beatitudo definiatur, & reperiet eam sic definiri: *Est status omnium bonorum aggregatione perfectus*; quâ definitione posita facillè erit ipsi facere amplificationem super allatam sententiam, enumerando scilicet varia bona, utilia, honesta & delectabilia, & ostendendo, quàm perfectè omnia possideant, qui in domo Dei habitant.

SECUNDUS LOCUS.

Per verborum discussionem.

Ex hoc loco sic oritur amplificatio: vult v.g. Concionator explicare locum illum Psalmistæ: *Quàm bonum est, & quàm jucundum habitare Fratres in unum*; hoc ut commode præstet, inquirat, primò quare *Bonum sit*, quia scilicet se juvant precibus, opere exemplo deinde quare dicat Prophetæ *Jucundum*, quia scilicet Societas omnes miseras & labores leves facit, & quia unus alterum solari potest; quare item di-